





Disciplinae Speculative generales à se invicem per abstractionem à materia  
 sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-  
 teria Physica et Sensibili, quorum singulas singula etiam convenit Discipline:  
 1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-  
 hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,  
 et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata  
 et universaliter secundum rationem; Quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia  
 eadem reserata sunt, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione  
 sua ab omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,  
 sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-  
 stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae  
 fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in ipsis, quae non solum in ap-  
 prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reserata sunt et saltem  
 ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-  
 cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,  
 nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus, quem Metaphy-  
 sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-  
 plinam ipsam: alia à mediata et per accidens, et propter disciplinas  
 alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K<sup>o</sup> F.

iz JC

Signat!

~~SSI~~





DISPUTATIONUM  
METAPHYSICARUM  
DECIMA TERTIA,

*De*  
ENTE

- I. INDEPENDENTE ET DE-  
PENDENTE,  
II. A SE ET AB ALIO,  
III. CREATO ET INCREATO,

*Quam*  
Auspicio & auxilio summi J E H O V A  
annuentis,

*Sub* P R A E S I D I O

M. JOHANNIS SCHARFII

Croppenstadiâ Halberstadenſis,

*In*  
florentiſſimâ WITTEBERGENSIUM ACADEMIA  
*publico examini ſubjicit*

SEBASTIANUS BAUMAN  
Crailshemio - Francus.

*In Collegio Veteri, ad d. 6. Sept.*

---

WITTEBERGÆ

Ex Typographéo CHRISTIANI THAM,  
Acad. Typogr.

---

ANNO M DC XXIII.









DISPUTATIONIS METAPHYSICÆ  
DECIMÆ TERTIÆ  
CONTINUATIO.

**E**andem inter affectiones Entis immediatas ultimo loco sequitur *Dependens & Independens: A se esse aut ab alio esse: itemq; Increatum & Creatum.* De quibus juxta methodum nostram agamus oportet. Nemini hîc litem movemus de Ordine. Non enim ignoramus, quòd prius potuisset agi de *Dependente & Independente*, quàm de *Corruptibili & Incorruptibili*, eò quod rationem *Dependentia & Independentia* concomitetur *Corruptibilitas & Incorruptibilitas*. Dicitur enim propriè *Ens Corruptibile vel Incorruptibile* ex eo etiam, quòd est vel *Dependens vel Independens*: sive in quantum *A se est vel ab alio*. Interim non videmus, quid incommodi ista methodus & disponendi ordo secum trahat, quo Præceptores nostri utuntur, & hac demum in sede agunt de *Dependente & Independente*. Quocirca illorum vestigiis non immeritò innitimur. Ita proinde præsentì hac in disputatione tria Capita ordine proposituri sumus, ut distinctius singula judicentur & percipiantur. Est

CAPUT I.  
DE INDEPENDENTE & DEPENDENTE.

THESES.

I. Ratio essendi ita se habet, ut ad illam necessariò sequatur vel *Independentia* vel *Dependentia*. Etenim *expressior entitatis conceptus* essentialiter infert includitvè vel absolute primum esse, vel esse ortum, participatum, principiatum. Illud necessariò, per se & essentialiter obtinet *independentia excellentiam*. Hoc verò *dependentia* rationem suâ naturâ adsumit, importatque.

II. Hinc omne *Ens denominatur vel Dependens vel Independens*, ita ut disjuncto illo attributo ritè afficiatur *Entitas* quâ talis est. De utrisq; igitur nunc merito dispicimus.

A 2

III. Ut



III. Ut autem eò facilius perspiciamus, quid & quotu-  
plex sit Ens Independens & Dependens, prius quædam mo-  
nenda videntur *de quidditate & distinctione* tum *Dependen-*  
*tie*, tum *Independentie*.

IV. *Dependentia* in genere nihil aliud esse videtur, quàm  
*respectus unius ad alterum cum relatione & respectu ordinis po-*  
*steriorum ad prius*: vel quod *Dependentia* sit ordo essentialis  
*presupponentis naturaliter ad suum presuppositum*, sine quo es-  
se nequit.

V. Hoc *generali* modo omnia dicuntur dependere, quæ  
habent aliquam præexigentiam seu aliquam suppositionem  
prioris. Et hæc *Dependentia* generaliter ita dicta nonnul-  
lis dicitur *Absoluta*, id est, abstracta, latè sumta, generalis &  
impropria.

VI. Magis propriè ad certum *Dependentie* modum  
coarctatur, ita ut sit vel *Effectiva*, vel *Subjectiva*, vel *Objectiva*:  
Undè & *Contracta dependentia* solet appellitari.

VII. *Effectiva Dependentia* est, quæ requirit aliquid ante  
*se agens, à quo sit, vel fiat*. Et sic omnia dependent, quæ sunt  
infra DEUM: Nihil enim horum est, quod excludat cau-  
sam agentem, à qua sit.

VIII. *Dependentia Subjectiva* est *habitus sive respectus*  
*accidentis ad suum subjectum, sine quo plane esse nequit*. Et  
sic omnia accidentia dependent.

IX. *Dependentia Objectiva* est, quæ dependet aliquid ab  
*alio tanquam Objecto*. Huc pertinent *scientie & artes*, quip-  
pe quæ per habitudinem ad objecta sua sunt id, quod sunt.

X. Acutissimus igitur *Combacius* hîc aliquo modo in-  
cogitanter scripsit, quod huc *Relativa* adducit, sed saltem  
est lapsus in terminis; ille enim aliter describit *Objectivam de-*  
*pendentiam*. Dicit namque, quod ea sit, quæ aliquid ab aliquo  
*dependet, non tantum ratione agentis & materia, sed & termi-*  
*nativè*, quomodo accidentia relativa de *pendentiam obje-*  
*ctivam*



ctivam habent. Ea enim non tantum à substantia fiunt & in substantia subjectantur, sed & habent potentiam objectivam, quomodo v. g. filiatio terminatur ad paternitatem.

XI. In his Clarissimi Viri verbis nil est quod reprehendi possit, nisi quod æquo latius extendat *terminum dependentia*, scilicet ad ea, ubi tamen non est prioritas & posterioritas, ut in relatis. Cum ipse tamen aliàs requirat ad *Dependentia* rationem, ordinem posteriorum ad prius, ut modò à nobis ex ipso dictum est.

XII. Hoc verò probare non possumus, quod confundat Objectivam potentiam cum terminis, & fundamentis relationum. Malè igitur tribuit Relatis dependentiam, & malè insuper eam vocitat, Objectivam.

XIII. Si verò omninò *Relationibus* tribui debeat *Dependentia*, tum *quartus Dependentia* modus adhuc est dandus, scilicet *Fundamentalis*. Nam ut accidens absolutum pendet à suo subjecto: sic *Relatio* pendet à suo proximo fundamento.

XIV. Huic jam quadruplici *Dependentia* modo respondet quadruplex *Independencia*: scilicet *Fundamentalis*, quæ aliquid est *Independens* ratione fundamenti: *Objectiva*, *Subjectiva*, & *Effectiva*, quæ ex opposita dependentia citra iacturam dignoscuntur.

XV. Scito tamen, quod *aliquid possit esse absolutum à fundamento*, licet non sit absolutum ab objecto, subjecto & causa, & sic *ratione fundamenti erit Independens*. Hoc modo omnia entia sunt *Independencia* præter relationes. Hæ enim dependent à suis fundamentis.

XVI. Deinde *potest esse aliquid absolutum à fundamento & objecto*, licet non sit absolutum à subjecto & causâ. Quare *ratione fundamenti & objecti erit independens*: ut, albedo, calor, color, frigus &c. Hoc autem modo Entia dependentia sunt non tantum relationes, sed etiam *omnes habitus & artes cognitionesque*, quæ fundantur in objectis, adeoq; ab illis dependent.



XVII. Porro aliquid potest esse absolutum à fundamento, objecto & subjecto, & non à causâ: & sic respectu istorum dicitur *Independens*, ut omnis *substantia* etiam creata: Hoc enim modo accidentia dicuntur *Dependentia*, quod à subjectis, in quibus esse suum habent, dependeant.

XVIII. Tandem aliquid potest esse absolutum omnibus modis, hoc est, non tantum à fundamento, Objecto & Subjecto, sed etiam à causa efficiente. Et hoc dicitur *Independens ἀπλῶς & simpliciter*, sicque sola essentia divina est *Independens*.

XIX. Hinc patet, quod, uti *solus DEUS ἀπλῶς Independens est*, sic *relationes predicamentales sint ἀπλῶς dependentes*: Cætera omnia simul de *Independencia & Dependentia* participant, ita tamen ut gradibus distinguantur.

XX. Ex his jam facile colligitur, quid & quotuplex sit *Dependens* aut *Independens*.

XXI. *Independens est, quod non eget priore ad suum esse*. Estque vel absolute vel secundum quid tale.

XXII. *Absolute Independens* est, quod in nullo genere ab alio habet dependentiam, quale illud est, quod simpliciter absolutum dicitur, id est, *Independens à Causa*: uti est *solus DEUS*.

XXIII. Nota hinc, quod *absolute Independens* non ita dicatur ob illam generalem absolutam seu latam *Independenciam*, quæ ita dici potest, quod opponatur absolute *Dependentia*, adeoque sit negatio omnis præexigentia, & essentialis præsuppositionis: sed ob primam & primariam *Independenciam Contractam* ita dicitur, puta ob *Dependentiam Effectivam*, quæ est negatio præexigentia causarum producentium.

XXIV. Licet enim sine dubio *DEUS* etiam illo modo sit *Independens*, cum nullo respectu dependeat ab aliis prioribus; quia tamen illa absoluta *Dependentia*, de qua modo monuimus, ita improprie dicitur, adeoque etiam ejus opposita *Independencia absoluta late & improprie* dicatur *Independen-*



pendentia; malumus dicere, quod *DEUS sit absolute Independens, quia in eo exulat Effectiva Dependencia*. Sic enim magis propriè termini *Independentia* & *Dependentia* sumuntur.

XXV. Cæterum & hoc notari volumus, quod *vera Dependendum genera tantum duo dentur, nempe Dependens à Causa, & dependens à subjecto, & quod de quo negatur Dependencia à causa, de eo quoq; negetur dependencia à subjecto, sed non contrà. Nam licet aliquid à subjecto non pendeat, à causa tamen potest pendere. Ut omnes creatæ substantiæ.*

XXVI. Unde etiam colligitur, quid sentiendum sit, de illo vulgari: *Relatorum Dependenciam esse mutuam*, nempe, quod vox dependentiæ in defectu illorum vocabulorum, impropiè ibi sumatur, cum mutuis ille respectus mutuam dependentiam nequeat constituere, siquidem non propriè faciat essentiam: *Essentia verò propriè Dependencia vel Independentia est*. v. g. *Paries propter albedinem similis, propter quantitatem æqualis vel inæqualis dicitur alteri: Ubi mutua Dependencia nec cogitari quidem potest, sed tantum terminatio est unius ad alterum, ut eruditè docet Clariss. Dn. Jacobus Mart. in suis Metaphysicalibus.*

XXVII. *Independens secundum quid est, quod tantum in certo genere ab alio non dependet. Ut tamen si non sit absolutum à Causâ, tamen sit absolutum à subjecto & termino, ut substantiæ creatæ. Hæ namque non habent Dependenciam à subjecto nec à termino, ut & accidentia absoluta à termino non dependent: Licet hæc omnia dependeant à causa, scilicet à primo Creatore.*

XXVIII. Porro: *Dependens est, quod priore indiget ad suum Esse, quo essentialiter est posterius. Hinc iterum inclarescit, quod relata impropiè dicantur à se invicem pendere, (intellige hoc non tantum de Relatis prædicamentalibus accidentalibus: sed etiam transcendentalibus, imò & substantialibus in divinis.) Cum nullum altero sit prius essentialiter,*  
*vel*



*vel posterius*, quæ enim ita priora aut posteriora dicuntur, sunt naturâ priora aut posteriora, quod de Relatis & Correlatis dici nequit. Sunt enim *ὅσος* simul.

XXIX. *Dependens* autem est vel Simpliciter & omnimodè tale, vel secundum quid & in certo genere.

XXX. *Simpliciter dependens* est, quod in nullo genere est absolutum. Cujusmodi sunt *accidentia Relativa*, scilicet Relata & correlata prædicamentalia strictè dicta. Hæc enim *dependent* à Causa, subjecto & termino (ut Combachius loquitur) vel potius à *fundamento*, ut supra monuimus.

XXXI. *Dependens in certo genere est*, quod de utroq; participat, tam de *Independentia*, quàm de *Dependentia*. Sic enim Creaturæ dependent à Causa, & sic sunt Entia dependentia ratione causæ: sed non dependent à subjecto aut termino: & in hoc genere erunt *Independentia*. Sic etiam accidentia absoluta dependent à causa & subjecto: sed tamen à termino absolvuntur: & sic quidem in illo genere erunt dependentia: in hoc verò *Independentia*, quæ omnia dispalescent à superioribus.

## CAPUT II.

### DE EO, QUOD EST A SE, ET QUOD EST AB ALIO.

XXXII. Ut omne Ens est vel *Independentens* vel *Dependens*: sic etiam omne Ens est *vel à se* vel *ab alio*; unde jam sequitur distinctio à se & ab alio.

XXXIII. *Ens à se* dicitur, quod *non habet ordinem ad aliud, à quo sit vel pendeat*.

XXXIV. Notari autem debet, quod præpositiones *A* vel *Ab*, vel latè vel strictè capiantur. *Latius sumuntur in genere pro habitudine quacunq; rerum, quæ cum ordine concipiuntur*. Sic essentia divina in Filio dicitur à Patre, nempe ratione ordinis & communicationis, ut annotat Clarissimus

Dn. Jac.



Dn. Jac. Martin. in disp. Metaph. Unde & Combachius in  
libr. suo Metaph. c. 12. ait: *Præpositio A vel Ab latius accipitur  
pro quacunque habitudine principiantis ad principiatum: quo-  
modo essentia divina in filio dicitur esse à Patre, videlicet per ra-  
tionem Originis. Et Pater est filio prior origine. Nam ubicunq;  
est hoc ab hoc, illud à quo est hoc, est prius origine, & illud, quod  
est ab eo, est posterius: sed in divinis Pater & filius sic se ha-  
bent, quod filius est à Patre.*

XXXV. Deinde verò *strictius* accipitur, quando *A vel  
Ab tantum designat habitudinem principii effectivi.* Hoc mo-  
do essentia filii nequaquam est à Patre, sed est una, eademque  
cum essentia Patris. Non enim filius est Ens factum aut crea-  
tum, sed æquè Increatum, ut Pater: quippe essentia divina fi-  
lii ab illo neque producta neque facta, neque creata, cum  
nihil producat, aut faciat, aut creet seipsum.

XXXVI. Imò hoc modo *in divinis operibus ad intra notè  
est A vel Ab, sed tantum in operibus ad extra, nempe à divinis  
effectivè dependent creaturæ.*

XXXVII. Scito jam, quod hoc loco *A & Ab* non acci-  
pantur priore modo sive latè, sed *posteriore sive strictà signi-  
ficatione: quando quidem hæc divisio Entis in A se & Ab Alio es-  
se, habet identitatem cum illa precedente in Ens Independens &  
Dependens, ut & cum illà, ubi proxime jam Ens dispescitur  
in Creatum & Increatum.*

XXXVIII. Dicendum itaque, quod *Esse A se negat de-  
pendentiam alicujus ab aliquo effectivam: quod dico, hoc est.  
In termino, A se esse, vò A se negat requirere aliquid ad sui es-  
se, à quo, quoquo modo sit, principaliter tamen negat prin-  
cipium effectivum.*

XXXIX. Et hoc est, quod in descriptione negatur,  
quod sit vel pendeat ab alio. Ex quibus etiam hoc patet,  
quod in *vò esse à se*, addita dictio, *Se*, augeat præpositionis *A*  
negationem, negetque utramque habitudinem essendi ab

B

alio,



alio, primario tamen, ut diximus, removet esse ab alio  
effectivè.

XL. Quare, quando Ens dicitur, *A se*, non additur En-  
ti quid Positivum, nempe nihil additur, quo Ens per hoc,  
quod *à se* sit, vel formaliter vel positivè constituatur, sed  
tantum negatur esse ab alio.

XL I. Et *hac negatio non est Privativa*, quia in hoc Ente,  
quod *à se* est, non est aliqua aptitudo ad esse ab alio, sed est  
*pura negatio, quatenus ab alio esse simpliciter repugnat ei, quod  
à se esse dicitur*: nempe D E O. Opt. Max. qui solus *à se* esse  
per puram negationem rectè dicitur.

XL II. Contra verò *esse ab alio* addit Enti aliquem re-  
spectum. Dicit enim esse Ens, quod *supponat sive ante se requi-  
rat aliud Ens cum habitudine illà, ut ab eo habeat dependenti-  
am*; ideoque additur Enti modus aliquis respectivus ad Ens  
aliud.

XL III. Ens itaque *ab alio* est, quod *habet ordinem ad  
prius, à quo est, ac dependet in esse*. Notetur verò, quod hic  
phrasis ista, *Esse ab alio*, non intelligatur de quovis modo ef-  
fendi ab alio: quomodo Filius dicitur à Patre, & Spiritus San-  
ctus ab utroque, sed hoc loco intelligitur modus effendi ab  
alio per efficientiam veram. Et *frè ens*, quoddam est ab alio  
dependenter, idque est omne finitum.

XL IV. Notetur autem, quod (ut habet Clariss. Dn. Ja-  
cobus Mart. in suis privatis disput. metaph.) *Ab alio esse du-  
pliciter intelligi possit, vel Formaliter vel Effectivè*.

XL V. *Formaliter nullum Ens propriè ab alio esse vel pen-  
dere dicitur*: sed potius omne Ens hoc seipso est, nempe per  
suam formam est in hac specie.

XL VI. *Effectivè verò omnia Creatura ab alio sunt, & qui-  
dem à Deo, & quoad speciem, & quoad Individua sive nu-  
merum*: sed non eodem modo; alia enim immediatè, alia  
mediatè.

XL VII. *Quoad speciem omnia immediatè à D E O esse ex-*



*tra dubium videtur.* Species enim per creationem primam à DEO pendent: *Immaterialia*, ut & *corpora aeterna*, nempe caelestia, immediate & *quoad speciem* & *quoad numerum* Individuaque à DEO sunt; Cætera verò *materialia* generationi & corruptioni obnoxia, *quoad numerum* & *Individa mediatè*, nempe mediante generatione, à DEO sunt. Hactenus quoque de Ente A se & ab Alio.

### CAPUT III.

#### DE CREATO & INCREATO.

XLIX. Doctrinam Entis A se & ab alio rectè excipit *contemplatio Creati & Increati*. Quod enim *ἀπλῶς* & *simpliciter à se est*, *Increatum sit*, necesse est. Quod verò *ab alio est*, vel *per Creationem* vel *per generationem* erit productum.

XLIX. Non ineleganter itaq; *subtilis*. Duns scribit *in initio* *Quodlib. Rem prima sui divisione posse dividi in rem Creatam & Increatam; sive in rem à se, & rem ab alio habentem esse; sive in Rem necessariam & possibilem, sive in Rem finitam & infinitam.*

L. Quibus quidem verbis, ut *Combachius Lib. Met. c. 11.* explicat, duo voluit innuere. Alterum est *Immedietas* ( *ut ita loquar* ) alterum *Identitas*. Illam, quando dicit esse *primam Entis divisionem*. Hanc verò, quando unam hanc entis divisionem variis nominibus voluit exprimere, quæ, quamquam secundum nos diversitatem quandam habere videntur, secundum rem tamen idem simpliciter dicunt. *Vide ipsum d. l. Nos jam terminos Creati & Increati versamus.*

LI. *Increatum* tribus modis potest agnosci, ut docet *Clar. Dn. Jac. Mart. ex Dionysio in 4. de Nominibus*, itemq; *Combach. Met. 11. cap. 1.* *In ratione virtualis Continentie*, quatenus mens divina *in se habet Ideas & exemplaria omnium producendorum & creandorum*; sui verò creandi *Ideam non habet*, sed *absolutè in se actu omnes virtutes eminentissimo modo continet.*



LII. *Sunt verò hæc Idea nihil aliud, quàm simplicissima es-  
sentia divina, quatenus imitari potest ipsam aliquod creatum.*  
Imitari potest, inquam: Non enim illud ipsum, quod in men-  
te divina est, per creationem, & sic per imitationem ipsius  
creati transfunditur essentialiter in ipsum creatum, sed fit il-  
lud per quandam tantum similitudinem & imitationem, non  
idem fiendo, sed tantum imitando id, quod est in mente divina,  
sive ipsam mentem divinam quatenus & quousq; imitabilis est.

LIII. *Non autem istæ ideæ sunt aliquid distinctum reali-  
ter in DEO vel à DEO.* Id enim absurdissimum fore, & con-  
tradictionem argueret: Faciens DEUM simplicissimè & abso-  
lutè simplicem, Compositum, ponensq; in absolutè simpli-  
ci essentia à nullo & à nullo. *Quare illo modo cognoscimus Increa-  
tum, ut in se eminentissime omnia continens, ipsum autem  
à nullo alio contineatur.*

LIV. 2. *In ratione actualis efficientie absoluta, & sic per mo-  
dum independentis Causalitatis, hoc est, Increatum cognosci-  
mus, & aliquid, quod à causa priore non sit vel dependeat.*  
*Etenim hunc ordinem & determinationem mens nostra intelli-  
git in universa rerum multitudine, ut in Causis essentialiter  
subordinatis, & à se mutuò dependentibus, non detur processus  
in infinitum: sed tandem ad aliquod ultimum deveniamus, in  
quo subsistendum tanquam supremo seu ultimo, proindeque  
in absolutâ Causâ, quæ nullo modo moveatur, sed tantum  
moveat; nullo modo producat, sed tantum producat; nul-  
lo modo conservetur, sed tantum conservet. Ad summum!  
tantum sit agens, nullo modo patiens.*

LV. *Et in hoc ultimo supremo & Independente mens nostra  
quiescit.* Agnoscit enim, quod supra illud ascendere non  
possit, nisi sibi contradicere velit, & ex absolutè primo & su-  
premo facere secundum vel tertium. Id verò quando sic  
agnoscit, simul intelligit, quod causa illa prima & ultima  
à nullo sit, proindeq; à seipsâ & in seipsâ & per seipsam exi-  
stat perfectissime & absolutissime.

LVI. Ex



LVI. Ex quibus porrò infallibiliter suppositis conclu-  
dit, primam illam & supremam Causam esse unum aliquod ulti-  
mum & primum independens & sic increatum.

LVII. Quia verò simul intellectus noster illud Ens agno-  
scit Causam primam, utique sine omni errore videt, quod  
omnes ceteræ Causæ, & consequenter omnia alia, extra essentiam  
illius primæ Causæ existentia, à primà illa dependeant in esse &  
operari.

LVIII. 3. In ratione finalis Concupiscentia cognoscimus  
quoq; Ens Increatum. Ut enim se habet progressus in Efficien-  
tibus: sic quoque in causis finalibus. Cùm enim Causa finalis  
agit per desiderium, ad desiderabile tendimus: quatenus verò  
jam ad aliquod tandem per se & ex se desiderabile ferimur, hoc  
est ad absolute bonum: sanè in creatis non possumus subsistere,  
quippe quæ ut absolute non sunt, sic neque absolute bona  
ea intelligimus: sed ad quoddam Creatis superius appeti-  
tum nostrum conferamus, necessum est.

LIX. Quod ut intelligas, scito finem esse vel Cui vel Cu-  
jus; vel quod idem, gratià Cujus & Quo. Nos hîc agimus de fi-  
ne πρῶτος dicto, nempe Cujus gratià, quod nimirum in eo  
boni ratio invenitur. Sic autem omnia conveniunt in ultimo fi-  
ne, qui est DEUS. DEUS enim, quia est ipsum bonum (quippe  
non per participationem, sed per essentiam) utiq; prima omnis  
boni mensura erit.

LX. Jam verò quia mensurabile habet aptitudinem ad  
mensuram, sequitur omninò, quod finalis Concupiscentia in pri-  
mo illo bono terminetur, quod bonum Increatum dicimus: Cùm  
ipsum simpliciter sit mensura, nunquam verò mensurabile,  
ut terminus omnis desiderii est: sic prima omnis boni men-  
sura.

LXI. Ex his ita prælibatis apparet Increatum esse id, quod  
à nullo alio dependet, neq; in esse, neq; in operari: Quippe tale  
Ens à seipso est ab æterno. Imò hoc Ens ἀπλῶς & absolute



Esse habet, in seipso, per seipsum, & propter seipsum, & sic ab æterno æternum esse obtinet. *Ejusmodi Ens est solus DEUS.*

LXII. Ita ergo describitur: *Ens Increatum* est id, quod in se habet negationem omnis dependentiæ, ordinatum vero ad hoc, ut ab ipso omnia pendeant, quæ sunt extra ipsum.

LXIII. Cæterum *Ens creatum est*, quod de non esse ad esse progreditur, quodq; quia ab alio & in esse & in operari pendet, per Creationem est.

LXIV. Hic igitur, ut quid creatum sit, rectius intelligatur, de Creatione quædam tenenda sunt. Cùm enim Ens creatum à non esse ad esse procedat, modus per quem hoc fiat, inquirendus videtur. Jam v. in universum duplex est modus, quo res à non esse ad esse progrediuntur: Alter est è non præexistente materia: alter v. è præexistente. Is dicitur *Creatio*, Hic *Generatio*. De hac Physica Speculatio desudat: de istâ, nos hic defatigemur.

LXV. Est autem *Creatio actio* infinitæ virtutis, quâ DEUS, Ens illud verè increatum, liberrimè propter semetipsum omnia, quæ sunt extra ipsum, ex nō præexistente materia produxit, ad speciem ordinavit & ad individuum determinavit.

LXVI. Combach. II. Metaph. ita brevius: *Creatio est productio Entis è non præexistente materia ab infinitâ virtute facta, ad speciem ordinata & ad individua terminata.*

LXVII. Primum *Creatio* dicitur *Actio*, non quidem *Immanens*: hæc n. reflectitur in ipsam causam, à quâ proficitur, secus verò se habet in *Creatione*, in quâ agens & productum suppositis etiam distinguuntur: neq; etiam *predicamentalis actio Transiens* est ita simpliciter dicta: quippe ista communiter appellatur, quæ per transmutationem agit, indeq; supponit subjectum sive materiam præexistentem, in quam transeat & recipiatur. Talis certè creatio nō est, cùm sit productio ex nihilo ἀπλῶς dicto. E. dicimus, quod *Creatio sit Actio Dei singularis, & media, nempe Transiens per emanationē.* Imitatur n. utramq;: *Immanentem* per emanationem ex eo, quod nō prodeat ab aliqua virtute media, sed ab ipsa essentiâ  
divi-



divinâ: *Transseuntem* verò in eo, dum non recipitur in agente  
sed terminatur in re creatâ. Et ita *Creatio* mediat quasi inter  
*Immanentem* & *Transseuntem* actionē communiter ita dictam.

LXIX. Dehinc notetur, quod sit *productio rei ex  
non praeexistente materia*, h. c. *ex Nihilo*: scil. *Negativo*: aut ta-  
men materia minus conveniente: Quo *Creatio* differt à *Ge-  
neratione*, quæ fit ex materia præjacente, & ad certâ speciem  
determinata. Notanter verò hîc ex Thoma monetur, quod  
*EX non designet causam materialem, sed ordinem saltem*, ita ut  
*Ex nihilo equipolleat post nihilum: scilicet per Creationem post  
nihilum sequutum est aliquod reale extra nihilum.*

LXIX. Porro *Creatio* dicitur facta à *virtute infinitâ*:  
Et sic notatur *Causa Efficiens*, quæ non potest esse nisi agens  
infinite potentiæ, uti est solus DEUS. *DEUS è nihilo omnia  
produxit, eaq; liberrimè, nullâ necessitate motus.*

LXX. Nulla enim *Causa cogens* dari potest, neq; *Ex-  
terna* neq; *Interna*. *Necessitas Interna cogens ad agendum pla-  
nè repugnat essentia divina*. DEUS enim est absolute perfectis-  
simus, & nullâ re indiget. Ergo etiam nullâ indigentia potuit  
esse, quâ DEUS cogeretur, ut manum ad *Creationem* appli-  
caret. Similiter ut hîc ἀπλῶς negatur *interna necessitas*, sic et-  
iam *externa* dari nequit. Quid enim absolute primam cau-  
sam coget? sane quicquid agit, independenter agit, & sine o-  
mni alterius concursu, ut agit, agere potest. Non ergo *secunda  
Causa prima imponit necessitatem, sed è converso prima secunda,  
ita ut hæc dependens indigeat ope illius.*

LXXI. Adde, quod absurdissimum sit, DEUM motum  
esse ad creandum à causa aliquâ secunda, siquidem hæc non-  
dum erat, ubi DEUS movebatur ad creandum.

LXXII. Manet proinde, quod *Impulsiva causa Creati-  
onis* detur nuda, sed tantum *liberrima Dei voluntas*. Quod ipsum  
& Scriptura S. egregiè comprobat *Psal. 135. v. 6.* ubi dicitur: O-  
mnia, quæcunq; *voluit DEUS, fecit in cœlo & in terra, & in  
mari & in abyssis.* Item *Apoc. 4. v. ult.* *Tu creasti omnia, & Ag-  
rò Ἰσχυρά οὐκ ἔστιν & creata sunt.*

LXXIII.



LXXIII. Deniq; *Finis Creationis* notatur, quando dicitur in descriptionibus, quod DEUS omnia fecerit *propter se*, itemque, quod omnia ad speciem ordinaverit. Duplex inde designatur *Finis*, Internus & Externus.

LXXIV. *Internus finis* Creationis est cum effectu idem, nempe sunt *res ipse Condite*, quatenus nimirum sunt productæ, ad speciem ordinatæ, & ad individua determinatæ.

LXXV. Non sufficit res productas esse, sed oportet ut ad certas species sint ordinatæ, eoq; modo mundi perfectionem constituent.

LXXVI. Scilicet *perfectio mundi simpliciter consistit in specierum perfectione*: non verò nisi *secundario perficiunt mundum Individua*, quatenus in his est specierum perfectio, ut istæ sint.

LXXVII. Constat enim, quod *ad specierum interitum sequatur mundi imperfectio & interitus*. Nullus verò mundi interitus oritur *ex Individuorum interitu*. Confer *Thomam 1. part. quest. 23. art. 7. & Combach. l. met. cap. 11.*

LXXVIII. Interim *Creatio non ultimo terminatur in specierum determinatione*, sed ut omnis actionis terminus est *singulare*. Arist. 1. Metaph. cap. 1. sic & *Creationis*. Certè sunt non nisi in Individuis species, in iis solis conservantur, ultimosq; suos terminos, actus & perfectiones in iis obtinent, non quod *specierum esse ab Individuis sit*, sed quod *existentia speciei non est, nisi in Individuis*, ut patet per *Arist. in Categ. cap. de subst.* Et hinc est, quod *Creatio sit actio ad species ordinata, & ad singularia terminata*.

LXXIX. *Finis verò Externus & ultimus* Creationis est ipse DEUS. Ut enim omnia sunt à DEO, sic etiam omnia recurrunt ad DEUM tanquam ad ultimum finem. Etenim ut habet tritum axioma: *Causa ἀπλῶς prima, & finis ἀπλῶς ultimus coincidunt, & sunt unum idemq.*

LXXX. Cæterum *Creatio* Considerari potest *vel ut activa*



*activa vel ut passiva.* Illa dicitur, non ut agens ipsa, sed ut causam agentem denotat. Et sic *Creatio activa nihil aliud est, quam potentia DEI creans.* *Passiva* Creatio ita dicitur, non quod patiatur ipsa, sed prout ad terminum, qui fit, ordinatur. Et sic *Creatio passiva est ipsa Creatura creatione producta,* uti iudicat *Combach. Metaph. cap. 11. tb. 16.*

LXXXI. Adhæc, Creatio dicitur vel *Immediata,* vel *Mediata.* Illa *prima* dicitur, estq; simpliciter ita dicta Creatio, quæ *excludit præter Causalitatem DEI, omnem causalitatem aliam tum materialis cause, tum formalis, tum efficientis Creati.*

LXXXII. Verùm Creatio *Mediata,* quæ & *secunda* appellatur, est, quando DEUS virtute suâ ex materia quidem, sed per naturam indispositâ producit aliquod opus: Sic ex aqua & terra condidit omnia viventia.

LXXXIII. Quocirca satis è dictis de Creatione apparet, quid *proprie* sit *Ens creatum,* nempe id, quod *primitus è nihilo est productum à DEO tanquam à primo & Infinito Ente,* & ad speciem certam ordinatum, simulque ad individuum terminatum.

LXXXIV. Licet autem hodiè singularia Corpora & animalia, quæ per generationem continuantur, non ex nihilo fiant, sed ex aliqua materia, *rectè tamen dici potest, quod sint entia creata à DEO, quia esse specificum eorum est à DEO per Creationem primitus productum,* adeoq; per Creationem eorum species ordinata, quæ adhuc hodie, uti Creata est, continuatur & propagatur per generationem singularium & Individuorum. Deinde à *Causa secunda* quidem generantur omnia illa generabilia in cursu nature, attamen non immeritò dicantur creari adhuc hodie à DEO tanquam à *Causa prima & independente,* dum cum causis secundis concurrat, & in ipsas influit. Rectè enim & graviter dixit Augustinus: *Hominibus generantibus, DEUS creat.*

LXXXV. Tandem, quomodo omnia creata non modo  
C in



in fieri *dependeant à DEO*, quod ab ipso omnia producantur; sed etiam *in esse & operari*, ita ut neq; esse, neq; operari queant sine conservatione & concursu causæ primæ, nempe Dei, prolixè *videatur apud Suarezium disp. 22. & apud Dn. Jac. Mart. in Part. Metaph. s. 11. Confer & Scheibl. Metaph. cap. 3. t. 17. n. 609. & seqq. Hec hac vice de Increato & Creato quoad theses.*

### *Usus & Abusus.*

Usus hujus disputationis non parum efflorescet in disputationibus & meditationibus tum Philosophicis, tum Theologicis. *In Philosophia uti discernit DEUM à Creaturis*, sic etiam insigniter *commodabit in multis contemplationibus de Deo ejusq; attributis*. Inde scil. *innotuit, quomodo Deus absolute sit Ens Independens, & simpliciter à semetipso & increatum*. Hoc autem quando scio, ex Philosophicis principiis permulta demonstrare possum de DEO glorioso nostro *quoad questiones tum quod sit, tum quid sit*. Fuere fanatici, & potissimum nuperi nati *Schillingiani, qui omnem notitiam Dei naturalem abjurarunt*, quod scil. Deus lumine naturæ nequaquam cognosci possit. Sed quàm *crassus sit iste error*, præter alia benè multa & solida fundamenta sive principia è meditullio Philosophiæ sanioris deprompta, *evinquit atq; ostendit hæc præsens doctrina de Independente & Dependente, de Increato & Creato, de eo, quod est à se, & quod est ab alio*. Sanè omne dependens, omne creatum, omne, quod est ab alio, arguit existentiam Dei: *quandoquidem illud necessario est ab Independente, ab Increato, & ab eo, quod simpliciter à se est*. Puta dum primitus aliquod ens est factum, non potuit non factum esse ab eo, quod à nullo est. *Si namq; ponatur esse factum ab alio facto ente, jam hoc factum rursus erit ab alio, quod si iterum dicatur factum esse ab alio facto, jam fieret progressus in infinitum. E. tandem deveniendum erit ad aliquod ens supremum & primum, quod non est ab alio sed à quo sint omnia, quæ extra ipsum sunt facta, & illud primum Ens est ens In-*

*crea-*



*creatum & Independentis, quale est solus Deus. Similiter & ea, quæ quidditatem Dei spectant, suo modo clariora fient ex Independentia ejus, & dum attendo, quod sit Increatus, & à semetipso. Nec minus notitiam Creaturarum vel spirituum vel corporum illustriorem reddet doctrina dependentis & creati. Porro in specie quid commodi habeant gradus & distinctiones Independentia atq; Dependencia, manifestum esse puto, idq; praxis disputationum satis superque ostendit. In Theologia exinde derivamus, quod Personæ Trinitatis propriè non debeant, sed sint Independentis entis relationes subsistentes, neq; etiam à se invicem debeant, nisi fortè latissimo sensu & valde abusivâ locutione. Dum Filius dicitur esse à Patre, notemus ex hac disputatione, quod modus essendi ab alio, ibi sumatur laxè sine interventu dependentia. Quod doctrina de Increato & Creato usum habeat in Theologia, dubium potest esse nullum: Habemus enim peculiarem articulum de Creatione, cujus notitiâ multum juvatur ab iis, quæ naturaliter cognoscit Philosophus de Creatione. Quod verò Abusum concernit iste etiam hîc deprehenditur in iis, qui confundunt acceptiones horum terminorum, & ludunt ambiguitate eorum, verumq; sensum depravant. Sunt qui Personis divinitatis, secundæ & tertiæ, tribuunt Dependenciam, eo, quod in iis detur aliqua præexigentia (scil. primæ personæ Patris) sed in eo magnum est periculum & vis termini. Valdè abusiva est illa locutio; neq; admitti potest, nisi illo sensu, quo pater dicitur fons, principium & origo Trinitatis, à quo Filius sit genitus, & Spiritus S. procedit ab utroq;. Et sanè impropriissimè dicitur, quod Filius & Spiritus S. debeant à Patre. Quando enim terminus dependentia propriè & strictè sumitur, tum profectò neutiquam obtinet Dependencia inter Personas divinitatis. Sic n. Dependencia non quemvis respectum prioritatis aut quamvis præexigentiam requirit, sed prioritatem naturæ aut essentiæ & præsuppositionē causæ, à qua sit aut fiat.*





Jam verò licet inter personas divinitatis detur prioritas Ordinis, nullo tamen modo ibi fingi potest prioritas essentiae aut Cause. Rectius ergò Dn. Jac. Martini statuit, quod in S. S. Trinitate licet Filius sit à Patre, & Spiritus S. ab utroque, non tamen nec Filius à Patre, nec Spiritus S. ab utroque dependeat: Cùm filii essentia non sit alia à Patris essentia, adeoque nec causaliter producta, uti nec Spiritus S. sed Patris, Filii & S. S. essentia est una numero essentia. Ubi autem unum numero est, ibi Dependentiæ locus non est; Cùm illa ad minimum inter duo sit, nempe inter illud, à quo quid dependet, & illud, quod dependet. *Tantum & de Usu atq; Abusu terminorum presentium.*

#### AXIOMATA.

1. *Omne Dependens est finitum: Et omne finitum est Dependens.* Ita patet, quia vox Dependentiæ infert imperfectionem quandam & indigentiam, & dependens prærequirit aliud, à quo sit & sustentetur. E. habet fines perfectionum & essentiae. Ergo & Finitum ens. Similiter, quod finitur, ab alio finitur, à quo dependet tanquam à superiori & fortiori sive prævalentiori principio. Ergò quod finitum est, dependens meritò censetur. *Loquitur autem axioma de Dependentiâ propriè dictâ, quæ est effectiva.* Et sic ubiq; verificatur.

2. *Quicquid Dependens est, oportet habeat essentiam saltem numero diversam ab eo, à quo dependet.* Suarez disp. 12. Met. s. 2. n. 5, 6. Scotus lib. 1. sent. d. 2. q. 6. scilicet unum idemq; numero à seipso dependere non potest, non secus, ac nihil esse potest sui ipsius Causa, ut seipsum causaret & in esse poneret.

3. *Ens ab alio habet ordinem Dependentiæ ad prius.* Ratio est, quia præexigit & præsupponit aliud tanquam prius, à quo sit & pendeat.

4. *Nihil est aut fit à seipso, scilicet per influxum positivum: quia nihil agit in seipsum, neq; idem producit semetipsum, sed omne quod fit, ab alio fit.*

5. *Ens*



5. *Ens à se dicitur, quod non est factum ab alio.* Quandoquidem *negative* intelligendum est id, quando dicitur, quod *Ens quoddam sit à se*, nempe quod non sit creatum ab alio. Non secus ac res simplices dicuntur Individuari à se, non quasi per positivum influxum tribuant sibiipsis esse singulare, *sed sensu negativo*, quod non habeant principium, unde habeant singularitatem formæ.

6. *Quicquid creatum est, ab alio est & dependens.* Sic totus mundus & omnia quæ in eo sunt, à DEO creata sunt, & à Deo dependent.

7. *Creationem dicentes ajunt, DEUM totum Ens ex nihilo creare de novo.* Averroes in 12. Metaph. exert. com. 18. Quia non est necesse, ut sit materia, in quam agat, sed creat totum. Item: Possibilitas nō est nisi in agente, ut idem ibid. loquitur.

8. *Creatione fit, quod ex nihilo fit.* Albert. Magn. lib. 2. tract. 3. cap. 12. de caus. & process. univers. à caus. prim. Ergo vita, quæ aliquid supponit, non fit per creationem, sed per informationem. *Idem. ibid.*

9. *Quod increatum est, à se fit necessum est.* Scilicet à nullo est productum. Ergo à se erit.

10. *Creatorem esse habet relationem in DEO secundum rationem solum, non secundum rem.* Alex. de ales in Metaph. tex. 30. Nam Creator non refertur ad Creaturas realiter. Quod autem aliquid fiat de non-relato relatum relatione secundum rationem, non per mutationem sui, sed per mutationem alterius extremi solum, non est impossibile. Ergo per solum mutationem *Creatura substantia aeterna fit de non creante creans*, ut accuratè docet idem Alex. ibid.

## Q U Æ S T I O N E S.

E

*An in Via Philosophorum detur Creatio?*

Quod quæro hoc est: An Philosophus ex suis principiis lumine naturæ possit agnoscere Creationem. *Ubi non quæri-*





*mus de Creatione temporali, qua facta est in tempore. Hac enim constituit articulum fidei, & ex solâ scripturâ firmiter probatur: sed simpliciter & præcisè questio habetur de Creatione, cujus terminus Universalis est habere esse post non esse, prout scilicet iste terminus post non esse præcisè sumitur, hoc est, Creatio ut sic, infert productionem rei, quæ antea non erat, ex nihilo sine respectu ad novitatem essendi, vel non novitatem essendi. Et sic affirmatè respondemus. Ita procedo:*

*Quicumq; cognoscit ex propriis principiis aliquod ens esse factum ex nihilo, is etiam exinde cognoscit creationem.*

*Atqui Philosophus ex propriis principiis cognoscit aliquod ens esse factum ex nihilo.*

*E. Philosophus exinde cognoscit etiam Creationem.*

*Et sic dabitur Creatio in via Philosophorum. Major suâ luce lucet, quia Creatio est productio rei ex nihilo, uti sæpe dictum est. Minor ex eo probatur: quia dandum est aliquod ens, quod primò sive primâ vice à Deo sit productum (vel si dicas: Omnia simul esse condita, statim concedes omnia ex nihilo esse producta.) Inde concludit ratio ita: Quod primò factum est à DEO, id necessario factum est ex nihilo, & non ex alio, quia scilicet planè nihil fuit, præter DEUM, antequam illud crearetur. Inde jam firmissimè colligit Creationem. Propterea notum est, quod sint tria agentia sive efficientia: Ars, Natura & DEUS. Ars quidem suæ operationis subjectum accipit à φύσις: & hæc à DEO: sed DEUS à nullo. Hinc iterum talis fit rectæ rationis discursus: Si DEUS habet suæ operationis subjectum, tum illud aut à seipso habet, aut à priore aliquo, aut à posteriore. Non ab hoc, esset enim illud vel Natura vel ars, quarum actiones unicè dependent à DEO, Non à priore. Quis n. prior Deo? Agnoscit enim Philosophus DEUM ut Ens ἀπλῶς primum. Ergò habebit à seipso. At subjectum illud quando primum ponebatur per Creationem, non poterat ejus actionis esse subjectum, erat enim terminus. Quocirca concludit recta ratio, quod operationis divinæ non fuerit aliquod sub-*  
*jectum*



Etum sive materiale: hoc est, quod DEUS agens primum & independens creaverit & produxerit omnia ex nihilo. Vide excell. Philosoph. Dn. Jac. Mart. d. l. & in Exerc. Met. lib. 2. exer. 5. theor. 1. & seqq.

### QUÆSTIO II.

*An Creatio sit Actio?*

Videtur quod non: quia *nulla species actionum ipsi competit*. Ut ergo citra hallucinationem hic verferis, attendas, quod *actio sit vel vulgaris & communiter usitata in cursu naturæ, vel singularis, inusitata & peculiaris*. Licet *vulgarium & naturalium species nulla competat Creationi*, exinde tamen non est negandum, quod *Creatio planè nō sit actio peculiaris & supernaturali modo facta, & supra naturæ communis cursum producta*. Sanè DEUS infinità suã *δυνάμει* hodiè posset planè novū animal producere, quod cum nullā alia specie animalium conveniret. Quis autem exinde vellet negare, quod id ipsum sit animal? DEUS Opt. Max. in Incarnatione Filii novam planè unionis speciem fecit, dum filius assumpsit humanam naturam, & cum eā constituit veram hypostasin. Anne licet hanc negare ex vulgaribus Unionum speciebus? Non sanè. Similiter & *Creatio manet actio peculiaris, quæ respectu communium & usitatarum non immeritò dici poterit Inusitata*, ut ex th. 67. hæc dijudicari poterunt.

### QUÆSTIO III.

*An Creatio sit Motus?*

Negatur. Quia est *productio rei ex nihilo*. Quomodo a. motus sive mutatio esse poterit, ubi nulla est materia & nullū subjectum, in quo fiat motus, aut quod mutetur? *Motus est actus imperfectus, cū potentia junctus, ita ut semper sit in fieri*. At *Creatio non itè*. Hęc ingenium habet generationis, adeoq. & actus perfectus dici potest. *Motus fit per prævias dispositiones, per successionē continuam ad terminum*. Non ita *Creatio*. Hęc sine præparatione materiæ fit, & sine successionē continuā ad terminū procedit in instanti. *Motus est divisibilis: At Creatio est indivisibilis sine subjecto*. *Motus fit in tempore: At Creatio propriè non ita, quippe carens successionē & fit secundū instans Indivisibile*. Adde quod *fiat in nihilo: at nihili tempus nullum est*. Deniq. *Motus procedit à termino ad*  
termi-



terminum. At *Creatio non habet terminum à quo*. Hic enim ad minimum requirit esse privativum. Ergò dicendum, quod *Creatio non sit Motus, sive strictè sumatur, sive laxè pro quavis mutatione*. Combach. *Metaph. cap. ii.* putat, quod *Creatio possit dici mutatio, non quòd facta sit per eductionem e potentia materia, sed ut procedit de esse objectivo tantum ad esse extra, & prout ante tantum esse poterat, hoc per Creationem est*. Sed hæc acceptio mutationis vel valdè equivoca erit, vel nulla. Constat enim, quod *illud esse objectivum sive illa potentia objectiva planè nihil sit in patiente*. Si enim aliquid esset, vel qualitas realis esset, vel *Conditio quædam, & hinc necessariò Ens aliquod sive subjectum actu requireret*. Si hoc dicatur, sanè non erit illa productio ex nihilo, sed ex aliquo subjecto, adeoque erit actio generationi æquipollens. Nos verò quærimus de *Creatione, quæ sit ex nihilo ἀπλῶς sumto*. Quibus observatis certè dicendum, quod *Creatio non sit mutatio. Nihil enim per illam mutatur, sed omne quod est, per illam de novo planè est factum, cum antea prorsus non erat*.

#### Q U Æ S T I O I V.

*An solius DEI sit creare?*

Ita est. *Creatio enim requirit infinitam virtutem, ex eo, quia ex nihilo fit. In Nihilum non potest agere, nisi quod est infinitæ potentia; distant Nihil & Ens in infinitum*. Hinc inter terminos *Creationis nulla datur proportio, cum Terminus à quo sit non-Ens, & ἀπλῶς Nihil, Terminus verò ad quem sit Ens Positivum*. Qualis enim erit proportio inter id, quod planè non est, & inter id, quod revera est? Ad minimum proportio est inter habitum & privationem: Vel inter actum & potentiam. *Ast in Creationis terminus nihil horum invenitur, ita omnis ratio proportionalitatis ibi expirat*. Quocirca nulla finita virtus poterit creare. Hujus enim actio & productio saltem versatur inter terminos (à quo & ad quem) proportionem habentes. Adde, quod *productio agentium finitorum saltem sit particularis, quâ non omnes partes simpliciter de novo fiunt, sed saltem una pars, nempe forma. Materia verò non item. Sed Creatio est productio totius esse, & quoad potentiam & quoad actum, scilicet est emanatio totius esse ex non-esse*. Proinde dicendum erit, quod solus *DEUS* creare possit. Imò & hoc dico, quod *finita Virtus ne quidem instrumentalis Causa Creationis dici queat, ut quidem non ignobiles Philosophi censent. Etenim nihil conferre potest ad Creationem finita Virtus, cum sit ex puro nihilo, cur ergo à principali adsumatur ut instrumentum?*

F I N I S.



AB: 67  $\frac{5}{c, 10}$


ULB Halle

003 357 104


3











B.I.G.



Farbkarte #13

14

ONUM  
CARUM  
ERTIA,

TE  
NTE ET DE-

ALIO,  
INCREATO,

ni JEHOVA

IDIO

SCHARFII

perstadenfis,


SIUM ACADEMIA

subjicit

BAUMAN

ancus.

d. d. 6. Sept.



R G Æ

TIANI THAM,

gr.

XXIII.

